





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**REFRIGERANTIUM**  
DIFFERENTI INDOLE AC  
MODO OPERANDI

QUAM  
JUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
PRÆSIDE  
**JOHANNE FRIDERICO**  
**CARTHEUSER**

MED: DOCT: AC PROF: PUBL: ORD:  
**PRO GRADU DOCTORIS**

RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDO

*DIE IV. OCTOBRIS M. D. CC. XL.*

*HORIS CONSUVETIS*

**PLACIDO PHILIATORUM EXAMINI**

submittet

AUCTOR RESPONDENS

**TOBIAS BRÜCKNERUS,**

ROTHENBURGO - LUSATUS,  
Med. & Chir. Pract.

---


*FRANCOFURTI ad VIADRUM,*  
Typis MARTINI HUBNERI.



THESE  
RICHARDUS  
DIFFERENTIA  
MODO  
LUCRATOS  
LUCRATOS  
JOHANNES  
CHRISTOPHER  
PRO  
ET ACID  
TOBIAS  
DE







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**REFRIGERANTIUM**  
DIFFERENTI INDOLE AC MODO  
OPERANDI.

---

**M** PROOEMIUM.

Multi hæcenus medici celeberrimi  
evolvendis ægritudinum causis su-  
am impenderé operam, & varia,  
spissioribus tenebris antea involuta, studio in-  
defesso eduxerunt in apricum, nec pauca pa-  
riter, quæ saltem immaturi & monstriosi lu-  
dentis phantasiæ partus erant, ideoqve falsa,  
& in vera praxi medica inutilia, exilii pœna  
adfecerunt; unde factum est, ut pars semio-  
tico-pathologica, multis sic purgata quisqui-  
lis, paulatim reddita fuerit perfectior. Co-  
nami-



namina hæc maxima utiqve laude dignissima sunt: Attamen optandum quoqve esset, ut plures, eodem studio, juvantium, h. e. medicaminum, supellectilem prosequerentur, & de investiganda vera eorundem indole, de eruendis principiis activis, de perspicuè deniqve ac solide explicando modo operandi, serio cogitarent. Hæc inquisitio, & penitior inde speranda juvantium ac nocentium notitia, reliquis medicinæ partibus lucem adfundet, artem salutarem in dies magis reddet rationalem, & medicos, subsidiis hisce debite instructos, adeoque verè doctos, valdoperè ab empiricorum turba distingvet. Postulat profecto laudabiles hosce, & utiles labores prudentia, postulat, quod majoris utiqve ponderis momentum æstimandum, ipsa conscientia. Quemadmodum enim bonum ac strenuum decet militem, ut bellicam supellectilem, & ea præ reliquis arma, quibus ad repellendos hostium insultus, creberrimè, ac quovis fermè tempore, indiget, familiarius cognoscat; sic prudentis pariter atqve conscientiosi medici est, ut sufficienti juvantium selectiorum notitia imbutus sit, quo hostibus sanitatis, h. e. morbis, quoties opus fuerit, congrua, adæquata, ac satis activa opponere-



ponere sciat remedia. Hæ cogitationes, quum forte animum subirent, eò me impulisse, fateor, ut de *pharmacorum refrigerantium differenti indole, ac modo operandi* tractationem in præsentiarum adornare, decreverim. Me quidem haud latet, alios jam dudum hanc materiam submisisse scrutinio, & in specie refrigerantium usum exponere, allaborasse. Verum enim vero, hæc prohibere non potuerunt, quin denuo hoc thema eligerem, præsertim, cum nonnulla adhuc circa illud restare videantur, penitius explananda. Spem igitur foveo certissimam, fore, ut æqui rerum medicarum æstimatores æquum quoqve de hac opella ferant iudicium.

---

§. I.

**P**riusquam ad ipsa refrigerantia nostra devolvatur tractatio, pauca quædam, naturalem sanguinis, ceu fluidi præcipui & universalis, indolem, nec minus caloris in eo originem ac genesin concernentia, præmittenda erunt, ut deinceps eò clariore de refrigerio, per medicamenta inducendo, enascantur ideæ. Sanguis animantium, quod iis etiam satis notum esse debet, qui vix prima physiologiæ fundamenta sternere cœperunt, ex duplici substantia, altera scilicet solidiori purpurea, quam vulgo cruorem vocant, altera fluidiori gelatino-aquea, sub seri nomine nota, componitur. Posterio-





or, quoad maximam partem, ex aqua constat elementari, & non tantum globulis rubicundis, sed partibus etiam gelatinosis, aliisque, nutritioni ac se- & excretioni destinatis, moleculis & ramentis heterogeneis vehiculum præbet. In se spectata substantia serosa, ablati scilicet sphaerulis rubicundis, optimè comparari poterit cum recenti albumine ovorum, modica aquæ simplicis additione paulo dilutiori reddito, ac nulla proinde, in statu scilicet perfecte sano, acredine, nec ullo pariter singulari odore ac sapore prædita sentitur. In animantibus sanis partem purpuream quantitate longe superat, & superare debet, ut eidem, ad coagulum & spissescentiam alias pronissimæ, necessariam conciliare valeat fluiditatem.

§. 2.

Altera portio, purpurea videlicet, primùm id monstrante Leeuwenhœckio, globulorum diversæ magnitudinis congeries jure dicenda est. Innatant hi globuli liquido seroso, purpureo idem tingunt colore, & ex aliquot compositi videntur bullulis minoribus, chylosis, pellucetibus, quarum interior cavitas, cortice solidiori & tenaci terreo-salino-oleoso cincta, aere elastico repleta est, qui, sub nisu tunicarum systaltico, comprimi, & remittente eodem, denuo per calorem, in interstitiis hospitantem, expandi potest. Opinio hæc majorem utiqve verisimilitudinem fortietur, si consideremus, globulos hosce sero suo liberrimè innatare, quamdiu sufficiens adest calor; protinus vero in unam coire massam, & ad fundum subsidere, quamprimum in sanguine, è vena extracto, successiva exhalatione, calor perit. Certo equidem certius est, globulos sanguinis, si sphaerulæ essent perfecte solidæ, specificè graviores





viores futuros, ipso sero, adeoque nequaquam innatare posse; quod si vero dicta concedantur, in propatulo est, globulos, calore expansos, majores ac leviores fieri, & calore imminuto, denuo minores, compactiores, ac graviore reddi posse. Exinde interim elucescit, sanguinem in arteriis & vasculis minoribus, ubi globuli compactiores sunt, ac magis compressi, majorem obtinere vim elasticam, quam in venis, & vasis amplioribus, ubi minor parietum resistentia, & torpida præterea, ac vix notabilis à solidis ambientibus compressio. Sequitur quoque exinde, globulum minorem & compactiorem, è vasculo arterioso denuo in venosum, circuli beneficio, reductum, paulatim iterum evadere majorem, aut simul laxiorem, licet nulla contigerit materiæ novæ accessio, & vice versa.

§. 3.

Explicandæ sanguinis indoli, de qua, si scopus ita postularet, multa dicenda restarent, non amplius immorabimur, sed pedem, ad paululum quoque lustrandum hujus liquidi motum, promovebimus. Nostro ævo cuiusvis medicinæ tyroni notissimum est, sanguinem animantium, sine perenni circuitu, in fluiditate ac crassi naturali conservari non posse, sed mox, cessante hoc progressu, in coagulum abire, & postea in ipsam dissolutionem putredinosam ruere, quæ miras partium constituentium metamorphoses inducit: Unctuosum quippe ac temperatum oleum, & dulcem pinguedinem ac gelatinam in oleum acre, foetidum, ac calidum mutat; temperatissimum vero, atque tenerrimum sal ammoniacale, partibus oleosis intime immixtum, evolvit, & in volatile sal urinosum transformat. Aver- tendo igitur partium heterogenearum divortio, aver- tendæ



tendæ memoratæ destructioni, & perniciosæ metamorphosi, nisi unicè, præcipuè tamen, motus progressivus circularis inservit: Imo, hic motus ille est, cui reliqui, videlicet intestinus attritorius, & maxima quoque ex parte, elastico-expansorius innituntur. Quam primum enim tunicæ vasorum nervoso-musculolo-membraceæ, mirabili in arteriis elatere præditæ, ac tenuissimo fluido nerveo quasi irroratæ, sese contrahere incipiunt, protinus, valido suo nisu, intercedente tamen, vim motricem solidi promoventis, & vim inertiae liquidi promovendi, justa proportione, sanguinem propellunt, circumvolvunt, ac vegete per quosvis universi corporis mæandros trajiciunt. Aliter hinc fieri nequit, quin ingens ubique, tum inter solida prementia, ac fluida renitentia, tum inter ipsius sanguinis globulos atque moleculas, oriatur attritus: Quo posito, non mirandum, à cortice globulorum tenaci terreo-falino-oleosa constanter numerosissima, tenerima ac mobilissima ramenta dejici, quorum minutissima, & quoad indolem, oleoso-phlogistica, sui juris facta, facile deinceps in rapidum atque specificum motum igneum ruunt, & calorem naturalem, flammamque placidissimam, invisibiliter in arteriis atque venis micantem, & ad globulos expandendos, fluiditatem conservandam, vitamque perpetuandam, summe necessariam, gignere atque producere consueverunt.

§. 4.

Clare exinde patescit, non interrupta serie, ex contractione solidorum fluere motum progressivum ac circulum humorum; ex mutuo solidorum ac fluidorum attritu calorem; & à calore denique aeris mixti & inclusi pendere rarefactionem. Sine calore igitur nec esset,  
nec



nec fieret notabilis humorum in corpore expansio & rarefactio; sine mutuo & intrinseco partium attritu & collisione, nullus calor; sine contractione solidorum, nullus attritus, nullus circulus, nec decens humorum fluiditas. Observatio hoc loco notatu digna est, quam LEEUWENHOECKIUS in *Epistolis physiologicis* communicat: Observavit scilicet, sanguinem in ranis torpidis & vespertilionibus, si arteriola corundem, tempore brumali, adhibito microscopio, conspiciantur, in grumos plane concretum adparere, atque sanguinem hunc grumosum, etsi animal igni admoveatur, ut caleat, tamen minimè resolvi, nec prius iterum moveri, quam cor sese contrahere inceperit; eò autem moto, moveri iterum, & tandem, post varios cordis ictus, pristinam recuperare fluiditatem. a)

§. 5.

Memoratus massæ sanguineæ, & inde natus, atque per univèrsum corpus diffusus, calor inter naturales ac justos limites consistat, nec in adultis ac sanis ultra XCII. in infantibus vegetioribus ultra XCIV. gradum thermometri Fahrenheitiani ascendat, necesse est; alias evadit præternaturalis, febrilis, ac destructivus, nec vitam amplius, fluiditatem humorum, ac systasin, solidorumque vigorem conservat, sed, pernicioso & contrario actu, humores putredinosè dissolvit, vel, violentior redditus, serum aqueo-gelatinosum consumit, & coagulat. Quotidie interim præternaturale ejusmodi caloris in corpore incrementum metuendum esset, nisi Creator sapientissimus duo notabilia adornasset refrigeria. Præcipua procul dubio refrigeratio in univèrsi corporis peripheria contingit, ubi cutis innumeris penè poris atque canaliculis exilissimis, tum

B

exha-

a) Conf. Boerhaavius in Tract. de Virib. med. p. 84.



exhalantibus arteriosis, tum inhalantibus venosis, instructa est, quorum priores, præter partes alias superfluas & recrementitias, terreas, salinas, mucidas, aqueas &c. etiam phlogisticas igneas, è sanguine arterioso, eminentius, ob majorem attritum, calefacto, eductas, emittunt, & ambienti aeri atmosphærico miscent; posteriores vero aerem circumfusum frigidiusculum, unâ cum tenerrimis in illa volitantibus effluviis, recipiunt, ac denuo ad sanguinem venosum spissorem deducunt. Observamus proinde, poris hisce atque canaliculis obstructis, illico corporis calorem decentes transilire limites, nec remittere iterum, usque dum pristina circuli, & perspirationis libertas restituta fuerit.

§, 6.

Alterum eminentius refrigerium fieri, observamus in pulmonibus: Enimvero, ingreditur in illorum meatus & cavitates, sub inspiratione, aer frigidior, redit inde, atque egreditur, sub expiratione, calidior. Unde aperte constat, recipere illum, dum ingressus per bronchia & vesiculas celerrimè diffunditur, ex meatuum parietibus, & ex numerosissimis quoque, hinc inde dispositis, vasculis exhalantibus, prouentes particulas calidas, & sic sanguinis æstum insigniter hac ratione refrenare ac temperare. Profecto, consistens hæc refrigeratio sanguinis in pulmonibus summe necessaria est, quoniam maxima ibidem, ob ingentem trituram, enascitur incalescentia. Sanguis enim, è dextro cordis ventriculo per arteriam pulmonalem adductus, per innumeros ferme tubulos, per vascula, ex parte minutissima, vi ingenti premitur, & in specie in exilissimis arteriarum ramusculis, in quibus continuè ex spatio

tio





tio ampliori in arctius progredi cogitur, mirifice dividitur, conqvasatur atqve comprimitur; quibus omnibus necessariò major globulorum densitas, subtilitas, ac mobilitas, nec minus insignis incalescentia succedere debent. Adeoque in propatulo est, æstum præternaturalem intensissimum, intra pauca minuta, ibi proditurum, nisi continua hic superveniret refrigeratio. Consentientem in hoc passu habeo BOERHAAVIUM, cujus discursum, licet paulo prolixior sit, ipissimis verbis adjungere, nullus dubito, quum optime totum hoc negotium explicuisse mihi videtur: *In venis, inquit, a) sanguis frigidissimus. Omnes ita sentiunt; quare id haud eget demonstratione: remotissimus à corde; redeuns ab exterioribus frigidis; mistus recentibus corpus ingressis humoribus, fere frigidioribus; in vase debili, capaci, laxo, inertis: reedit in cordis thalamum dextrum. Igitur foret, ex se, sanguis venosus nulla in plaga corporis frigidior, quam in antro dextro cordis. Sed nimium hoc futurum frigus, atqve ipsi vite periculosum in corde, in via interim per venas ad cor ducente in calore temperatiore uscuqve conservatur à calido arteriis suppeditato, corpori communicato, venis applicato. Atqui, vel sic tamen, erit in corde dextro omnium frigidissimus, si arterioso comparatur. Hic autem sanguis, ita frigidior, in arctos, elasticos, fortes, canales arteria pulmonalis, vi cordis dextri, atqve molimine ingenti respirationis, pressus, actusque, necessario per unum pulmonem fertur copia æque magna, quam, eodem tempore, per universum corpus, omnesqve ejusdem partes, simul. Hinc igitur idem sanguis nulla in parte corporis usqve adeo atteri, adeoque & calescere poterit, quam in pulmone solo. Foret ergo calor illius homini*

B 2

a) In Element. Chemiæ anno 1732. Lugduni Batavorum edit. p. 273. T. I.



homini intolerabilis, imo letalis. Verum aer, respirando ductus, in pulmonem, est semper frigidior longe, quam hic sanguis. Et, per Malpighiana, sanguis hic in arteriolas minimas fusus, quæ vesiculis pulmonum tenuissimis applicantur undique, per superficies ergo incredibiliter latas, exponitur aeri per omnia momenta temporis renovato, adeoque semper frigidus: unde sanguis, ex se, in nulla iterum totius corporis plaga refrigeratur plus, hoc respectu, quam in pulmone nostro. Vab! quæ mirabilitas! ubi in alios, necessarios, usus maximè caleferi debebat sanguis, ibi rursus maximè refrigerari omnino debuit ob alias, æque necessarias, causas. Salva vita integritate, non poterat sanguis, chylusque recens, apte agi per omnes totius machinæ fistulas vitales, nisi vi summi atritus solveretur in elementa subtilissima, maximeque divisa, in pulmonibus: id verò fieri haud poterat sine ingenti simul nato calore. Si autem ille tantus mansisset applicatus sanguini non refrigerato simul per alias, & quidem eodem pariter tempore applicatas, causas; omnis ille sanguis, inquam, brevissimo tempore, totus computruisset, atque sustulisset omnium sanè pestilentialissimo morbo vitam. &c.

§. 7.

Quantquam dictis adminiculis, & laudata ac constanti refrigeratione, iusta sanguinis, quoad calorem, temperies in sanis & conservetur, & conservari debeat; fieri tamen nonnunquam affolet, ut, accedentibus singularibus causis, vel necessario refrigerio in locis memoratis ad tempus sublato, eminentior caloris gradus in corpore enascatur, & præternaturales accendantur igniculi. Non supervacaneum fore existimo, si potiores præter-naturalis caloris causas adduxerim. In genere huc omnia illa referri utique merentur 1) quæ partium calidarum & ignescentium exhalatio-



lationem è corpore & fangvine plus minusve impediunt; 2) quæ motum fangvinis circularem plus iusto intendunt, vel hinc inde etiam penitus in tubulis minoribus suffaminant, violentioremque attritum utroque modo efficiunt & 3) particulas fangvinis falino-oleofas nimium attenuant, expandunt, intrinsecè commovent, & substantialiter augent, vel ipfis etiam indolem oleoso-urinofam conciliant. Secundum generales hæc clasfes, ceu causa incalescentiæ fangvinis præternaturalis specialior, primo loco recensenda venit iustò calidior aeris ambientis constitutio; qua præfente, liberior igneæ substantiæ exhalatio per pulmones atque cutis cribrum plus minusve minuitur, vel plane nonnunquam cohibetur. Cum enim aer circumfusus jam largiter particulis calidis refertus sit; nullas ille amplius è corpore recipere, & istud proinde haud quidquam refrigerii sentire potest. Unde fit, ut particulæ ignescentes, sic magis magisque accumulata, intensiorem æstum proritent, & naturalem humorum systasin, dulcedinem atque fluiditatem destruere, tandemque ipsam dissolutionem putredinosam producere incipiant.

§. 8.

Illustrandi fine, optimè hoc loco inserviunt experimenta, quæ laudatus Boerhaavius in camera, in qua sachari depuratos conos sacharinos subito exsicant, instituire curavit, quæque ita sese habent: „  
 „ Memorata camera adeo calefacta erat, ut accuratum  
 „ ex argento vivo thermometrum, in ea diu satis detentum, gradum notaret 146. Tunc passer, cavea  
 „ inclusus, ibi repositus fuit. Postquam uno circiter  
 „ horæ minuto ibidem fuerat, jam ore hiante, summa  
 „ cum anxietate & molimine, anhelabat; crescebat



„omni momento numerus reciprocationum respira-  
 „tionis, ut brevi celerrima foret hæc repetitio, cum  
 „summo virium decremento, ut bacillo inniti ultra  
 „impos, illum dereliquerit, fundo cavæ jam insidens,  
 „ibique cum nisu intentissimo celerrimè respirans,  
 „moriebatur intra septem minuta. Eodem illo tem-  
 „pore simul cum passerculo canis cameræ inclusus fu-  
 „it; qui, postquam ibidem septem minutis hæserat,  
 „hiando, linguam exferendo, atque respirationis actus  
 „quam velocissimè reciprocando, satis indicabat, quam  
 „foret molestus illi ingens ille æstus. Cæterum tamen  
 „quietus manebat intra septem, quo coercebatur, li-  
 „gneum. Elapso fere quadrante horæ, sonitum respi-  
 „rando edebat, atque respirabat quam fortissimè, o-  
 „mni ope moliens exitum tantis nixibus, ut mirum ap-  
 „pareret. Vires paulo post animal deficiebant, respi-  
 „ratio incipiebat retardari in vicibus, atque ultimo  
 „tardior exerceri tardiorque, lenta valde pectoris, &  
 „diu durante inspiratione, atque expiratione, cum  
 „valida adhuc vi. Deinde & hæ ipsæ languidiores red-  
 „debantur adeo, ut paulo ante mortem ne audiri qui-  
 „dem possent. Toto hoc tempore copiam salivæ in-  
 „gentem demiserat, quæ rubella prorsus, foetorem  
 „edebat adeo intolerabilem, ut nemo præsentium illi  
 „ferendo esset: eratque simul adeo infestus terribilis  
 „hic foetor, tam subito natus in hoc animali, ut in o-  
 „culi nictu propius accedens fere exanimaretur, atque  
 „spiritu vini cum myrrha refici debuerit. Contigit  
 „hinc, ut correptus tali deliquio, artifex haud potue-  
 „rit mortui ori thermometrum immittere ad exploran-  
 „dum caloris gradum, dum modo jam mortuum erat  
 „animal. Quum autem paulo post, usu dicti liquoris  
 „refectus, thermometrum intruderet, stetit illud ad  
 „gra-



gradum 110. In summo hoc æstu, maximisque mo-  
 liminibus, ne minima quidem nota sudoris in hoc ca-  
 ne apparebat. - - Dum hæc in avicula, & cane, in-  
 stituebantur experimenta, etiam eodem tempore fe-  
 lis, cavæ lignæ inclusa, reposita fuit in eodem cal-  
 dario. Quæ, postquam minuto horæ ibi fuerat ince-  
 pit se humi prosternere, anhelare, & post horæ elap-  
 sum quadrantem, cum sibilo & sonitu quoque spi-  
 rare; deinde etiam incredibili lucta niti in effugium;  
 atque, postquam ita prorsus eadem penitus passa fue-  
 rat, moriebatur. Atque erat sudore haud minus  
 perfusa, quam si de mediis educta fuisset undis. &c. a)

§. 9.

Ex eodem propemodum causarum censu esse vi-  
 detur tubulorum cutis capillarum, & vasculorum at-  
 que pororum in - & exhalantium obstructio, vel per  
 inhærentem, firmissime impactam materiam crassam,  
 fenacem, vel spasmodicam quandam constrictionem, à  
 frigore externo, acris vellicantibus, aliisque, in-  
 ducta. Frequentissima nobis exempla præbent febres  
 continuæ, in quibus intensior æstus tamdiu sævit, quam-  
 diu memorata obstructio perseverat. Procurata vero,  
 per congrua medicamina, decenti fibrarum laxitate,  
 referatis denuo tubulorum & pororum obstipationibus,  
 liberior redit perspiratio, remittit æstus, & pede-  
 tentim ad naturalem temperiem revertitur. Non uni-  
 ce tamen præternaturale hoc caloris in febribus incre-  
 mentum à cohibita perspiratione cutanea derivandum  
 est, sed symbolum pariter confert nimium aucta per  
 universalem stricturam spasticam contractio solidorum  
 ner-

a) L. c. p. 275. seqv.



nervoso-musculoso-membranaceorum; qua ingruente, qua perseverante, circulus sensim rapidior evadit, & sanguinis globuli, violento admodum affricu, violenta collisione intestina, mirifice exagitantur; idque eò magis, quum sub spastica vasorum coarctatione, & fortiori, quæ necessario contingere debet, ab omni latere compressione, figuram sphericam magis magisque in sphaeroideam mutant, & sic plura puncta contactus forment, unde uberrimus sane materiæ caloricæ proventus expectandus est. Præter relatas æstus præternaturalis in corpore causas, dantur adhuc multæ aliæ, quæ quidem perspirationem non impediunt, nec solitum refrigerium tollunt, circulum tamen & intestinum attritum nimium intendunt, particulas salino-oleosas expandunt, & valde attenuant, imo, ex parte, adventu suo, & immediata miscela, ignescentem materiam substantialiter augent. Scopus, tempus, atque spatium prohibent, quominus singulas, easque fufius, referam; adeoque breviter tantummodo potiores atque frequentiores præcedentibus subungere præstabit. Sunt autem continuatus ad tempus motus voluntarius velocior, nimiumque corporis exercitium, intempestive ac largius adsumta medicamenta atque condimenta, acriora, aromatica, balsamica, amara, urinosæ, &c. potulenta spirituosa, gravior animi incandescencia, & maxime stases sanguinis inflammatoriæ. Sanguis enim in canaliculis, præprimis arteriosis, stagnans & accumulatus, mirifice illos, velificante vehementi, quem à tergo sustinere cogitur, insequentis & alluentis sanguinis impulsu, distendit; hinc solida nervoso-musculoso-membranacea, forti hac tensione, irritata, reactionem exercent validiorem, & violentiori hoc renisu



nifu violentius reciprocè percutiunt fluida; quam solidorum percussione, sanguinisque à tergo prementis arietationem, necessario violentissimus, omni momento, h. e. sub quovis ictu, excipere debet attritus, & intensissimus per consequens in illa parte calor.

§. 10.

Obiter lustratis præcipuis, de caloris naturalis ac præternaturalis genesi prænotandis, ad primum tractationis nostræ momentum progrediemur, & ipsa pharmaca refrigerantia contemplationi subjiciemus. Non unius ejusdemque illa generis sunt, sed sub diversis collocanda classibus. Ad primam classem referri merentur ACIDULA, tum solida & sicca, tum liquida diffusiora aque ac concentratiora. Ex solidorum selectiorum censu sunt *cremor & crystalli tartari, sal acetosella, & magisterium hepaticum rubrum*, in Pharmacopoea Augustana renovata descriptum. &c. Liquidis adnumerantur *acetum vini & cerevisia, succus citri & limoniorum, succus expressus acetosella, serum lactis, cum crystalli tartari, aceto, vel citri succo, ceu consuetis in hoc passu præcipitantibus, paratum; nec minus spiritus vitrioli, nitri atque salis dulcificati, spiritus sulphuris volatilis, aqua dilutior redditus, elyxus antimonii sulphuratus, spiritus vitrioli, vel rectius, salis philosophici, tinctura aquoso-acidula bellidis, papaveris rhoeados, rosarum rubr., flor. violarum, tinctura coralliorum cum succo acido parata, & sic porro. Nonnulla memoratorum ipsa natura statim suppeditat; reliqua vario præparanda sunt artificio. Negari quoque non poterit, ratione indolis specificæ & mixtionis, discriminis quidquam illa intercedere, dum in aliis leve solummodo, atque temperatum vegetabilis profapiæ acidum reperitur, largiori aqueæ*

C

atque



atque unctuosæ substantiæ miscela, vel intimiori terræ tenerioris atque inertis connubio, debilitatum; in aliis vero acidum gravius minerale, quod valde causticum proinde in corpore futurum esset, nisi aqua copiosa distractum, vel in nonnullis substantiæ phlogistico-spirituosæ additione, & unione intimiori contemperatum fuisset. Mere acidulis quodammodo etiam hoc loco jungenda sunt ACIDULO-DULCIA, in eò saltem à præcedentibus distincta, quod plus substantiæ unctuosæ in mixtionem suam receperint, uti v. g. sunt *passula minores, tamarindi & eorum pulpa, rob ceraforum acidorum, ribium, syrupus acetosstatici citri, rubi idæi*, & sic porro.

§. II.

Singula ex relatis acidulis, præsertim simpliciora, h. e. parciore terræ inertis, & materiæ unctuosæ crassioris atque obtundentis quantitate remixta, præter reliquas vires, silentio hoc loco prætermittendas, eminenti refrigerandi virtute possent, primario ab acidulo principio derivanda. Equidem in primis statim viis, ventriculo videlicet, & canale intestinorum, bilem fervidam, si talem offendant, & cruditates calidas quas-cunque, oleosas, biliosas, ac bilioso-nidorosas, temperant ac corrigunt, tum coagulando paulisper, ac quasi figendo partes oleosas, nimium expansas & attenuatas, tum moleculas salino-alcalicas, præternaturaliter genitas, immediato & intimiori suo consortio, transformando iterum, salemque reducendo ammoniacalem, naturalem, atque tenerrimum. Hoc igitur intuitu, auxilium ferunt egregium in morbis quibusvis, ex calida, biliosa, bilioso-putrida & corrupta minera acris, aut oleoso-alcalica, propullulantibus, v. g. in cholera, vom-



vomitu & diarrhoea biliosis, ictero acuto repente superveniente, febre tertiana, & nonnunquam pariter in ipsa dysenteria. Per notissimas deinde vias, variis tamen liquidis, in prima culina confluentibus, antea distracta valde & debilitata, ad universalem humorum fontem, massam scilicet sanguineam, devoluta, & circuli ope, per corporis universi maendros sensim disseminata, insigniores adhuc refrigerandi vires edere consueverunt. Citissime enim ibidem, & præminentem efficaciam, moleculas sanguinis salino-oleosas, & tenerimas phlogisticas, largiori collectione accumulatas ac nimium expansas, resolutas, & commotas, ad majorem denuo systasin, & motum placidiorem reducunt, salia urinosa, justo celeriori circuitu, excedente attritu intestino, calore exorbitante, genita, & largius quoque collecta, destruunt, iisdemque temperatam falsedinem ammoniacalem reddunt, & sic citissima ac valida actione, organice humorum expansionem & æstum refrenant, coeptæque dissolutioni putredinosa obicem ponunt. Quis igitur de virtute refrigerante egregia, & usui eorundem præstantissimo dubitabit in plerisque febribus, tum ardentibus biliosis & inflammatoriis, tum malignis putredinosis? Quis porro ipsis utilissimam denegabit operationem in hæmorrhagiis excedentibus, adfectibus maniacis, & calidis rheumaticis, æstro nimio venereo, uno verbo, in quibusvis agnitudinum speciebus, quæ sanguinis organice, nimiam resolutioni, & indoli fervidæ, biliosæ, oleoso-urinosa, originem debent? Profecto omnes medici docti, & ii in specie, qui frequenti ac sedula cultura, præcepta & experimenta chymica, sibi notiora reddiderit, hæc facile concipiunt, & plenarium assensum largiri, non dubitabunt.





§. 12.

Altera refrigerantium classis complectitur NITROSA, videlicet *nitrum crudum, depuratum, tabulatum, antimoniatum, ammoniacale WEDELII, & lapidem prunella*, quæ singula tamen, respectu indolis, parum, vel nihil, ab invicem distincta sunt. Nitrum mirabile profecto sal est, cui nullum est reliquis salibus mediis perfecte æquiparandum. Originaliter quidem nascitur ex conubio acidi primigeni, in atmosphæra circumvolitantis, & pinguibus particulis terreo-urinosis, in putrida terra calcaria, limosa, aliisque, genitis; veruntamen, accedente consueto artificio, urinosi principii jacturam patitur, & acidum relictum ejus loco alcali fixum, est cineribus extractum, in consortium recipit, adeoque ex nitro embryonato, antea teneriori ac volatiliori, prodit nitrum fixius, magis corporeum. Quicquid interea sit, nitrum præ omnibus reliquis salibus neutris, tenerrimas atque mobilissimas partes nactum fuisse videtur. Prompte enim in igne fluit, facile in aqua solvitur, & mixtam, sub fluore in igne, substantiam quamcunque sulphuream, bituminosam, resinosam, oleosam, atque pinguem, in motum igneum flammantem celerrime rapit. Singularis pariter proprietas virtus refrigerans est, quæ sese non tantum in lingua, ac toto corpore, sed ipsa etiam aqua exferit; hæc enim, manifestè id indicante immerso thermometro, sub nitri pulverisati injectione & miscela, confestim frigidior redditur.

§. 13.

Liquet ex hisce, in poris nitri parum hospitari materiæ calidæ ignescentis, & istud proinde promptissimè illam ex aliis corporibus auferre posse. Absit tamen, ut





ut inde erroneè concludamus, nitrum in corpore quoque actuali frigore præcipuam suam actionem absolvere, dum nulla sic causam & effectum intercederet proportio. Sane, ratio longe alia subesse videtur, à subtilitate molecularum nitri soluti, ut & ab ipsa, singulari quidem, ast nihilominus creberrima, caloris præternaturalis causa repetenda. Omni quippe dubio caret, nitrum particulis suis tenerioribus & moderate acutis lenem, sub contactu, stimulum solidis imprimendo, ad vegetiorem, vividiorisque illa contractionem impellere, & quod palmarium censendum, sine turbis ac notabili commotione, dissolvere, incidere, attenuare, materias quascunque viscidas, mucidas, tenacius coherentes, ceterum frequentissimas obstructionum in meatibus ac tubulis capillaribus, auctores. Nunc autem notissimum est, sapissime astum præternaturalem enasci, quando humores circulantes libere per vascula obstructa meare ac remeare nescientes, hinc inde stagnare, & violentiores in partibus suis collisiones concitare coguntur, aut tubuli exhalantes ac pori obstitati scorias ignescentes, perenni halitu, excludere nequeunt. Quæ vitia autem cum aufferantur per particulas nitri, in motum decentem redactas, non mirandum, cessante causa, cessare effectum; idque eò magis, cum nitrum etiam sanguinem sanum fluidiorem floridioremque reddat, & stases inflammatorias præsentibus non tantum discutiat, sed imminentes etiam avertat. Nullus profectò operandi modus hoc ipso videtur probabilior: Nitri enim actio, quod jam dictum, & in natura ejus fundamentum habet, unice in eò consistit, ut solida leniter stimulet, fluida subsistentia, spissa, coagulata & obstructa solvat, & denuo ad circulum li-

C 3

berio-



beriolem subeundum aptiora reddat. Confirmant hæc experimenta MALPIGHII & *II.* HOFFMANNI; hic enim, propria experientia edoctus, testatur, solutionem nitri, infusam sangvini, é vena misso, coagulato & nigricanti, eum non modo fluidiorem reddidisse, sed ipsi etiam floridum atque miniatum conciliasse colorem; & ille, qvum aliquot nitri drachmas, in aqua solutas, venæ canis infunderet, observavit, nullum inde noxium infecutum effectum, & sangvinem pariter fluiditatem majorem, floridioremque accepisse colorem.

§. 14.

Jure idcirco nitrum polychrestum æstimandum remedium, & efficacissimum & utilissimum in febribus omnibus (lentis atque hecticis exceptis, in quibus, ob excedentem jam humorum dissolutionem, rarius ac cautè usurpandum), nec minus in inflammationibus, tum solitariis, tum febre, ulcere, aut vulnere, stipatis, hæmorrhagiis exorbitantibus, spasms & convulsionibus dolorificis, calidis adfectibus rheumaticis & arthriticis, & ceteris, ab orgastica sangvini expansione, stasi, obstructione tubulorum, & reliquorum humorum crassitie & lentore deducendis ægritudinum calidarum speciebus. Non raro quoque in nimio œstro venereo temperando vires monstravit egregias: Cavendum tamen in hoc & reliquis morbis, ne usu nimio excedens sangvini, lymphæ, ac spermati virili, quod paulo spiffioris consistentiæ esse debet, dissolutio, noxiumque refrigerium inducatur, quibus presso plerumque pede aliqua solidorum imbecillitas succedere solet. Lépida sanè, huc tamen spectans, historia est, quam á DIPPELIO acceptam, de BACONE VERULAMIO narrat D. JOH. HUMMELIUS: „ Invaluerat nimirum, Baconis svasu & enco-  
 „miis,



„miis, nitri usus medicus in Anglia, adeo, ut penè  
 „universaliter quivis morbi, unico hoc remedio, ut  
 „adparebat, profugarentur; sed cum aliquot anno-  
 „rum tractu, qui huic medicamini affveverant, senti-  
 „rent, se in dies viribus langvescere, sicut & prostra-  
 „tus vorandi & bibendi appetitus languebat, & sexus  
 „apprimè sequior deprehenderet ingens suæ felicitatis  
 „summæ in re venerea detrimentum, (ignoscant mihi  
 „virgines aquè ac fœminæ; non mea enim, sed Hum-  
 „melii verba sunt) nesciens, quodnam veneficium vi-  
 „ros in Anglia, in hac palæstra alias admodum strenu-  
 „os, ligasset, & satagendo huic negotio ineptos reddi-  
 „disset. Detecta tandem hujus ingentis miseriæ causa,  
 „adeo communi odio & ira, in usum nitri medicum  
 „insurrexere mulieres, aque ac viri, ejusque aucto-  
 „rem Baconem Verulamium maledictis exceperè, ut  
 „vix à præmeditati in detrimentum gentis veneficii  
 „labe & accusatione publica se vindicare potuerit. „a)  
 Probè hæc illi notent, qui ægrotis suis nil ferme, nisi  
 coloratos, & torpida terra onustos, pulveres nitrosos,  
 & præservandi & curandi sine, exhibere consveve-  
 runt, ne justam quoque apud mulieres, quin ipsos me-  
 dicos, iram excitent.

§. 15.

Tertio refrigerantibus jungere, non dubito GE-  
 LATINOSA, UNCTUOSO - OLEOSA SUBDULCIA,  
 & TEMPERATA MUCILAGINEA *animalis & vege-*  
*tabilis profapia*, cujus generis v. g. sunt *gelatina C. C., ebo-*  
*ris, crurum vitulinorum, juscula pullorum, ac carniū vitu-*  
*linarum; nec minus juscula & decocta ex radicibus scor-*  
*zonera;*

a) Vid. Ejusd. Comment. de arthritide, tam tartarea, quam  
 scorbutica §. 19. p. 32.



zonera, graminis arvensis, albea, floribus calcatrippa, forraginis, cyani, violarum, bordeo mundo, avena &c. it. Emulsiones ex aquis refrigerantibus, & seminibus quatuor frigidis maioribus & minoribus, amygd. dulcibus, nucleis pini sarriva recentioribus, semine cannabis &c. nec non lac, cremor lactis, serum lactis dulce, succus cucumerum saccharo dulcificatus, oleum amygdalarum dulcium & olivarum, recentissime expressum, & multa hujus commatis alia, materiae medicae gnaris notissima. Plerique in horum nonnullis, è regno vegetabili desuntis, præter temperatam, quâ pollent, mucilaginem, etiam principium quoddam salinum nitrosæ indolis quærunt: Verum enim vero, licet illud in quibusdam non plane negare audeam, difficilius tamen, extra mucilaginis mixtionem, demonstrari poterit, & minoris quoque, ob exiguam admodum, quâ adest, quantitatem, erit momenti. Unicè, pro mea sententia, refrigerandi virtus partibus oleo-unctuosis, vel aqueo-mucilagineis temperatissimis, in acceptis ferenda erit. Lubricis enim, & ad cohesionem nihilominus aptissimis moleculis, non solum meatuum parietes, quasi vernice semifluida obducendo, ab erosione ac stimulis violentioribus defendunt, solida nervoso-membranacea, nimis tensa, stricta, exsiccata, humectant, lubricant, emolliunt, flexilitatem reddunt, sed fluida etiam, præprimis bilem & sanguinem, eminentius expansa, resoluta, commota, fervida atque acria reddita, miscela sua & interpositione, temperant, ad systasin reducunt, & serò in specie deficientes partes gelatinosas restituunt; quibus necessario moderatior solidorum contractio, circulus humorum placidior, imminutio attritus, & sensibile hinc caloris decrementum succedere debent. Equidem communissima nos docet experientia, cum crescente  
mutuo



mutuo corporum affricu, crescere calorem; cum de-  
 crescente eodem, denuo decrefcere: Docet pariter,  
 substantias oleoso-unctuofas & mucilagineas, duobus  
 corporibus duris interjectas, violentiorem affricum  
 impedire, & intensioris ideo ac destructivi caloris ge-  
 nesim avertere. Quare cum mucilaginea & gelatino-  
 fa similem in corpore effectum praestent, nulla ratione  
 dubitandum, quin astui praeternaturali prohibendo,  
 mitigando, ac penitus compescendo, egregie inserviant.

§. 16.

Prae omnibus aliis sese commendare videntur in  
 febribus lentis atque hecticis, ubi insignior humorum  
 resolutio, tenuitas, acrimonia exedens, & feri blandi  
 gelatinosi penuria observatur; nec minus in dysente-  
 ria maligna, maxime autem epidemica, ubi miasma acre,  
 aut saburra acido-biliofa, valde caustica, non tantum  
 febrem continuam, sed inflammatoriam quoque intestino-  
 rum erosionem, produxit. Cum notabili pariter effectu  
 exhiberi possunt in cholera, soda ventriculi, ebullitione  
 bilis fervidioris, & ipsis venenis causticis mineralibus,  
 quorum particulis, vellicantibus, pungentibus, scin-  
 dentibus, hebetudinem inducunt, & crusta, qua solida  
 obducunt, intermedia, violentos stimulos avertunt, vel  
 tamen mitigant. Ut paucis me expediam, egregium  
 auxilium ferunt in morbis singulis, qui ex nimium te-  
 nuui, & acri humorum indole, ex commotione sangvi-  
 nis organica, & solidorum siccitate, strictura, & ero-  
 sione profecti sunt.

§. 17.

Unctuofis, in nostra tractatione, succedant AQVEA.  
 Non intelligo hoc loco saltem *aquam simplicem, fontanam,*  
*fluviatilem, pluvialem,* verum quascunque etiam *aquas*  
 D *destilla-*



*destillatas*, principio activo peregrino, vel penitus destitutas, vel subtilissimis saltem particulis acidulis leviter imbutas. Priorum numerus certe fatis magnus est. Veteres enim ex plerisque corporibus gelatinosis, mucilagineis, terreo-adstringentibus, imo insipidis planè & inodoris, adeoque in hoc passu inertibus, & incongruis subjectis, aquas destillando elicuerunt, ac destillare didicerunt, quæ nullo proin elemento singulari, præter ipsam aquam, activo gaudent, licet ipsis erroneè partes gelatinosas, mucilagineas, nitrosas, similesque adscribant, quarum adscensus tamen, integra permanente gelatinæ & mucilaginis mixtione, haudquam sperandus est. Idcirco omnis, quem exferunt, effectus ab ipsa ac sola aqua expectandus, quæ etiam, si diluendi, temperandi, ac refrigerandi intentio est, desiderium abundè implebit, si largiori scilicet quantitate hauriantur. Aqua enim simplex, pura, medicina fere universalis est, ac liquidum simplicissimum, quod impuritates mucidas, acres salinas cujuscunqve indolis, tartareas, disjungere, solvere, abstergere, & post receptionem, secum per vias urinarias & poros cutis educere valet. Cum etiam partes solidas egregie humectet, lubricet, emolliat & vaporum capacitatem augeat, violentiorem solidorum contractionem, & fluidorum attritum minuere, tubulos ac poros obstructos aperire, & sic optimum sane refrigerans, cui nullum penè equiparandum, evadere consuevit. Nemini igitur mirum videri debet, nostro tempore, à medicorum celebrioribus aquæ frigidæ, vel tamen aqueorum, potum largiorem in multis morbis commendari, & egregios quoque ab usu ejusdem hinc inde observari effectus; quemadmodum de hisce varia opuscula scripta, à Dn. D. SCHWERDTNERO successive collecta, &





& ex lingvis exterarum gentium in vernaculam nostram translata, consulenda sunt.

§. 18.

Ultimo denique loco memoranda venit CAMPHORA, concretum sane, quoad indolem & refrigerandi virtutem, admiratione dignissimum. Sunt quidem, qui de refrigerante ejus virtute dubiam fovent sententiam; at reiterata ac clara illis contradicit experientia, quæ virtutem præfatam jam abunde confirmavit. Evolvant, si placebit, variorum medicorum monumenta: Legant ILL. HOFFMANNI *Dissertationem de Camphoræ usu interno tuto & præstanti a.*): Legant pariter Dn. D. TRALLESII *Tractatum*, quem anno 1734. de camphoræ virtute refrigerante in lucem emisit. Multa profecto reperturos, scio, ibidem consignata, quæ ad sensum extorquere poterunt. Camphora, teste laudato HOFFMANNO  $\beta$ ) homini cuidam, ad drachmam integram, exhibita, nullum in corpore caloris augmentum produxit, nullam sitim excitavit, nullamque denique pulsus accelerationem peperit, sed ille potius, qui adsumferat, notabile sese refrigerium expertum esse, adfirmavit. Si prolixitas in præsentem placeret, proprias observationes quasdam prædictæ jungere possem; verum, quum satis multa, quæ illustrandi ac probandi vim obtinent, in laudatis scriptis congesta sunt, studio illarum recensionem omittam.

§. 19.

Duo saltem sunt, quæ uberius hoc loco explananda sunt, indoles videlicet, ac modus inducendi refrigerium. Me quidem haud latet, etiam in expediendo hoc opere, viros laudatos, aliosque gnaviter defudasse;

$\alpha$ ) Conf. Ejusd. *Obs. physico-chymicæ* p. 44. seqv.  $\beta$ ) l. c. p. 50.



ne tamen circa hanc materiam plane otiosus esse videar, sententiam, cui ipse assensum largior, paucis aperiam. Camphora, ut prius lustremus indolem, neque ad salia volatilia, neque corpora resinosa, neque ad olea coagulata referri potest; dum necessariis, horum intuitu, destituitur proprietatibus; sed singulare concretum terreo-phlogisticum, siccum, atque volatile est, ex substantia ignescente purissima, tenerrima, ac mobilissima, & pauca terra teneriori, intima ac firmissimæ unionis beneficio, compositam. Terra basin, seu, ut ita loqui liceat, matricem quasi corpoream, & unicum volatilis substantiæ inflammabilis vinculum præbet, ac sese, sub combustione, per atram fuliginem manifestat. Phlogiston tenerrimum vero, ex inflammabilitate, odore, sapore igneo, similibusque proprietatibus, sensibus obviis, cognoscendum, animam quasi sistit, quæ concretum hoc actuat, & specificam eidem indolem largitur. Aquæ quidem pauxillum, sub destillatione, elici potest; at illa ad vera principia constitutiva non pertinere videtur, sed poris saltem, ceu hospes peregrinus, sese insinuavit. Nondum igitur camphora olei ætherei mixtionem consecuta est, mutari tamen in oleum poterit, si principio terreo, & phlogistico, interveniente tamen intima miscela ac unione, deficiens elementum salinum acidulum, aqueum, & plus quoque terræ subtilioris jungantur, sub ea tamen, quæ requiritur, proportione. Confirmare hoc quodammodo videtur solutio camphoræ, per aquam fortem, sive nitri spiritum, facta. a) Resolvitur enim, uti adparet, in verum oleum fluidum, non permanens tamen, sed facile iterum, ob superficiariam saltem acidi crassioris

a) Conf. Memoir. de l'Acad. Royal. des sciences ann. 1705. p. 47. seqv.



fioris miscelam, ad pristinam formam revertens, si frigidæ infilletur aquæ. Non pauci interim, hoc experimento seducti, nec debite ad novam hanc, ut ut transitoriam saltem, nec satis firmam, syncrison respicientes, crediderunt, camphoram oleum esse coagulatum; cujus proprietates nullo tamen modo possidet.

§. 20.

Analogia quædam, prudenti tamen facta adplicatione, ac comparatione, intercedere videtur camphoram, alcohol, sive spiritum vini dephlegmatissimum, & sulphur vulgare minerale, non quidem quoad proprietates externas, & singula elementa, sed quoad simpliciores saltem ex phlogiston originem ac genesin. Tria hæc subjecta enim, præ multis aliis, phlogiston purius atque primigenium, vel primogenio tamen proximum continent, idemque in iis cum unico saltem elemento alio unionem subiit. Siquidem in sulphure communi tantum acidum vitriolicum, in spiritu vini aquam, & in camphora terram in consortium recipit. Per ignem igitur ligante principio terreo, aqueo, acido, avulso, & unione singulari destructa, phlogiston, vel insensibiliter, vel sub forma flammæ, aut halitus odoriferi, denuo abit.

§. 21.

Supposita, ac debite intellecta hac camphoræ indole, virtus ejus refrigerans, cum modo operandi, facilius explicari poterit. Ego de iis sequentem mihi formo conceptum: Quando camphora, corporis calore, in tenerrima resolvitur effluvia, protinus illa per vasa lactea, maxime autem per tubulos, ventriculi & intestinorum inhalantes, massam sanguinis atque humorum reliquorum ingrediuntur, & celerrime, fulmineæ





materiae instar, tum ob propriam mobilitatem ac volatilitatem, tum beneficio circuli, per universum corpus dissipata ac disseminata, quavis vascula, etiam capillaria exilissima, pervadunt, humores, quos in transitu suo offendunt, absque notabili commotione, disjungunt atque dissolvunt, tandemque per cutis cribrum denuo abeunt, & corpore derelicto, ambientis aeris atmosphaerici mole miscentur. Laudata interim in corpore actione efficiunt, ut latex sanguineus fluidior, floridiorque evadat, tubuli subtilissimi quicumque, & pori, antea obstructi, aperiantur, & circuli, ut & perpirationis Sanctorianae, in morbis calidis, & sub aestu corporis intensiori, plerumque magis minusve sufflaminatae, libertas redeat. Minuitur igitur, ob circuli libertatem in vasculis capillaribus restitutam, violentior partium attritus, decrescit quantitas ipsius materiae ignescentis, & sic modo utroque calor praeternaturalis.

§. 22.

A scepticis quidem hic objici posset: cur alcohol, seu fluidum pariter volatile ac mobilissimum phlogisticae indolis, non eundem; sed contrarium praestet effectum. At respondeo: specificam adhuc spiritum inflammabilem rectificatissimum, & camphoram intercedere differentiam; spiritus ejusmodi enim est liquor aqueo-phlogisticus, qui prompte cum quovis liquido aqveo, adeoque etiam cum humoribus corporis nostri misceri, iisdemque proin intimius uniri potest. Aliter comparatum est cum camphora, quae nunquam ab aqveis menstruis solvitur, neque intimiorem cum iis miscelam subit, sed saltem innatat atque supernatat, imo subito iterum, adfusa aqua frigida, e solutionibus spirituosis praecipitatur, & ad formam & consistentiam pristinam revertitur. Non speranda proinde intimior ejusdem cum sanguine miscela, sed tenerrima tantum  
ac





ac mobilissima effluvia, ac siccae moleculæ, sub fumi seu halitus tenuissimi forma, illum penetrant, partium cohesionem firmiorem hinc inde tollunt, & liberiorem ubique circuitum, ac perspirationem restitunt. *Longe aliter* (quam olea ætherea) CLAR. DN. D. TRALLES scribit, *a) se gerit camphora sulphur, utpote nullis compedibus vincendum, sed plena libertate pollens, nilque facile, quod vagabundam indolem cicuraret, coerceretque agnoscens: inde etiam in corpore nostro ipsi nulla mora, sed potius fugitivo itinere, remotis obstaculis, canales quosvis pervagans, id, quod exequi potest, promptissime exequitur, relictiisque virtutis suæ documentis evidentibus, quæ data porta ruit iterum, & dum ipsi nihil invium, per subtilissimos poros mira celeritate suffugit.* &c. Et licet in fanis meandi ac remeandi, ut & perspirandi libertas non deficiat, certum tamen est, humores per camphoram reddi adhuc fluidiores ac tenuiores, & insensibilem transpirationem largiorem; hinc aliqua omnino, eaque, sub dosi majori, satis sensibilis refrigeratio supervenire debet.

§, 23.

Clare exinde patescere, opinor, camphoram, justa dosi, ac tempeste exhibitam, inter optima remedia febrium exanthematicarum, inflammationum, ac convulsionum reponendam esse. Non conjecturis hæc innituntur, sed experientia, ac celeberrimorum medicorum testimoniis suffulta sunt. Locum in febribus malignis & exanthematicis in specie inveniunt, quando maculæ erupturæ, penitus in superficiem prodire renuunt. Plerumque enim viscidæ & acres malignæ impuritates moras in corpore neunt, vel ob propriam crassitiam, vel gravem tubulorum cutis capillarum obstructionem aliam. Quæ impedimenta autem cum optime auferat camphora, liquido constat, providum ejus usum in illis ipsis esse saluberrimum. Svadent interim medici celeberrimi, ut illi semper nitrum, ceu optimum ejus corrigens, vel sperma ceti, aut ol. amygdal. dulc. addatur; quæ

cau-

a) In Exercif. physico-medica de Virtute camphoræ refrigerante p. 52.



cautela etiam non penitus spernenda est, ut refrigerationis effectus & certior evadat & tutior. Specificam quoque efficaciam camphora monstrat in pertinacissimis inflammationibus venereis; Tenaces enim & à maligno miasmate coagulatos humores, qui nunquam, nisi probe antea dissoluti & attenuati, è corpore ejiciuntur, valide resolvit, & numerosissimas tubulorum obstructions, reserat; quemadmodum hæc & præcedentia, nisi præfixi termini arctiores uberiori discursui obicem ponerent, selectissimis illustrare ac corroborare possem observationibus. Laudatur etiam, quod addendum est, à veterum nonnullis ad compescendum nimium seminis virilis orgasmum, & exorbitans inde enatum oestrum venereum; at virtus illa à quibusdam recentioribus adeo dubia iterum reddita fuit, ut rectius fabulis, quam veris virtutibus, adnumeretur. <sup>a)</sup>

§. 24.

Quantquam camphora ordinario effectum refrigerantem edere consuevit, fieri tamen interdum assolet, ut per accidens evadat calefaciens, quando scilicet meatus exilissimi ac cutis spiracula per spasticam constrictionem clausa & obstructa sunt, aut excedens sanguinis quantitas, vasa replevit, ita ut hac ratione camphoræ volatiles moleculæ, neque libere transire, neque exire queant, & vim suam proinde in solida æque atque fluida, nisu violentiori, dirigere cogantur. Verum enim vero abusus non tollit legitimum usum, & effectus ejusmodi accidentaliter medicum rationalem, qui camphoram opportunè propinare didicit, deterrere haud poterit. Hæc sunt, quæ in dissertatione præsentis de refrigerantium præcipuorum indole ac modo operandi proponere, mihi placuit. Fateor superesse adhuc multa, recensione pariter dignissima: Non diffiteor quoque, nonnulla ex relatis uberiores postulare explanationem; at temporis & spatii ratio habenda fuit. Existimavi igitur, me scopo meo, si potiora exponerem, satisfacturum. Quod reliquum est, Deo optimo maximo gratias ago devotissimas pro singulis, per integrum vitæ curriculum in me collatis, beneficiis, Eumque supplicibus veneror precibus, ut in posterum quoque quavis mea conamina, pie suscepta, sua beare velit benedictione.

F I N I S.

<sup>a)</sup> Vid. Miscell. N. C. G. ann. 6. & 7. Obs. 235.





PRÆNOBILISSIMO atq; DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

**S**olidiora in arte salutari fundamenta sternunt, & aegritudinum quarumvis curationes certiori adgredi possunt fiducia, qui scientiam therapeutica cum chirurgica conjungunt, & sic in stadio medicinae utroque strenuè decurrere didicerunt. Hæc ipsa TIBI PRÆNOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, in principio statim, cum arti medicae præcipuum Tuum studium consecrare decerneres, haud ignota fuisse, ex Tua studendi, proficiendiq; methodo optimè elucescit. Hactenus igitur in praxi medico-chirurgica, quam per triennium, & quod excurrit, non sine successu felici, ac publicis scientiæ solidioris testimoniis, exercuisti, uberrimos regularis diligentia fructus percepisti, pluresq; TE in posterum percepturum, augurari nullus dubito. Quo interim illos quo-

que



que, in quorum animis forsan diffidentie quidquam  
adhuc subnasci posset, confidentiores redderes, omnem-  
que scepticis scrupulum eximeres, ad Academiam Via-  
drinam profectus, à Facultate nostra petiisti, ut con-  
suetis examinibus, tam publicis, quam privatis, pro-  
fectus Tuos exploraret, & singulis rite peractis, publi-  
co testimonio instructum, atque Doctoris titulo, quem  
dudum promeruiisti, ornatum, ad reiterandos ac pro-  
sequendos labores practicos remitteret. Feliciter per-  
acta sunt omnia: Examina cum laude sustinuiisti, &  
in Doctorum numerum receptus es. Ideoque nihil  
restare videtur, nisi, ut nunc iterum à nobis discessu-  
rum faustis appreciationibus ac votis prosequar, &  
de impetratis honoribus doctoralibus gratuler. Faxit  
itaque sapientissimus uniuersi Director, ut constanti  
in posterum animi tranquillitate, & vegeta corporis  
sanitate fruaris: Faxit, ut praxis medica felix sit,  
atque ampla, & quævis reliqua TIBI ad votum fluant.  
Vale & rem feliciter age. Dab. Francofurti ad Viadr.  
die IV. Octobr. M. D. CC. XL.

Du





**D**u brichst, gelehrter Freund, der Arbeit süße Frucht  
Du kriegst den Lorbeer-Cranz, den Dir Hygæa bindet,  
Und welchen sie mit Recht um Deine Schläffe windet,  
Weil Du die Wissenschaft mit muntrem Fleiß gesucht;  
Nimm Ihn, und zieh damit in dein beliebtes Sachsen,  
Dort werden mehr und mehr derselben Zweige wachsen.

Du hast das Ziel erreicht, das Du dir vorgesteckt,  
Und die so schwere Bahn zu Glück und Wohl gefunden,  
Die Vorsicht gönnt Dir nun den Anblick froher Stunden,  
Und giebet Dir nunmehr, was Brust und Sinn ergötzt;  
Sie führe Dich auch stets; so wirst Du bald erfahren,  
Dein Wohlsenn mehre sich zugleich mit Deinen Jahren.

Durch dieses bezeugte seine Ergebenheit dem  
Herren Doctorando

**Bal. Benj. Magir,**

Medicin. Candidat. Ligib-Siles.

Die Mittel sind bewährt,  
Ergreifet was zu Kühlen,  
Ihr werdet Linderung fühlen,  
So bald ihr es begehrt.  
Herr Doctor Brückner zeigt  
Den Unterscheid zu machen  
Wenn bey verschiedenen Sachen  
Die Hitze höher steigt.  
Und daß ein jeder sieht,  
Die Wahrheit sey am Tage,  
So glaubet wenn ich sage,  
Daß Er nach Hause zieht,  
Die Probe seiner Wäh recht offenbahr zu zeigen  
Weil künftig seine Braut die Kunst nicht wird verschweigen.

Hierdurch wolte dem Herren Candidato zur  
erlangten Doctor-Würde gratuliren

**Ch. G. Liebich,**

Siles. Med., St. Oppon.



**G**elehrter Freund, da Dir das Glück,  
Heut einen Doctor-Hut geweiht.  
So dienen Dir die holden Blicke  
Durch Deine ganze Lebenszeit.  
Und daß Dein Fleiß die Früchte schmecket  
Die uns Hygæa zugebracht,  
So hat es Dir durch mich entdeckt  
Was es vor Dich vor Anstalt macht.  
Es kleidet Dich jetzt mit Vergnügen  
In angenehmen Purpur ein,  
Damit Du einstens kannst besiegen,  
Was gerne will gekühlet seyn.

Dieses schrieb mit eylligster Feder des Herren  
Candidati ergebener Freund

C. C. Gaill,  
Colbergo-Pommeranus  
Med. Stud. Oppon.

---

Du giebst, gelehrter Freund, hier deutlich zu erkennen,  
Was in der Medicin sey kühlendes zu nennen,  
Doch nimm Dich wohl in acht, daß Du das Beste wehlest,  
Wenn Du dich in die Zahl der Treu Verliebten zählst.

Mit diesen wenigen empfehlet sich zu stets  
währenden Andenden

F. de Angelis,  
C. M.

---

Uermahl ein neuer Doctor, macht den Kirchhoff weit und groß!  
So giebt sich die Schaar der Spötter, fast bey jedem Hute bloß.  
Uber halter dßmahl ein, Brückner hat schon längst gezeigt,  
Daß der Todten Gräber Lohn, durch Jhn eher fällt, als steigt.

Durch dieses wenige recommendet sich in des Herrn  
Doctorandi gütziges Andenden

C. S. Ehrlich,  
Med. & Chir. Sr.

\* \* \*



01 A 6509


ULB Halle

002 931 249


3











DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**REFRIGERANTIUM**  
DIFFERENTI INDOLE AC  
MODO OPERANDI

QUAM  
JUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
PRÆSIDE  
**JOHANNE FRIDERICO**  
**CARTHEUSER**

MED: DOCT: AC PROF: PUBL: ORD:  
**PRO GRADV DOCTORIS**

RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDO  
*DIE IV. OCTOBRIS M. D. CC. XL.*  
*HORIS CONSVETIS*

**PLACIDO PHILIATORUM EXAMINI**  
submittet

AUCTOR RESPONDENS  
**TOBIAS BRÜCKNERUS,**  
ROTHENBURGO - LUSATUS,  
Med. & Chir. Pract.

*FRANCOFURTI ad VIADRUM,*  
Typis MARTINI HUBNERI.